

DISSE^RTAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE
**RVBO IDÆO
OFFICINARVM**

QVAM
PRAESIDE
D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PUBLICO
ORDINARIO
ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM
ET PETROPOLITANAЕ VT ET REGIAE SCIENTIA-
RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS SODALE
ORDINIS MEDICI

HOC TEMPORE DECANO
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA LEGITIME
OBTINENDIS HONORIBVS

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

A. d. XI. Maii MDCCXLIV.

AVCTOR

IOANN. AVGVSTVS MEYER

POMERANVS.

HALAE MAGDEBURGICAE
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI Acad. Typogr.

RABO IHAO
OTTICINARVM

DIOANNIS HENRICI SCHULTE
BRASSIDE

ACADEMIAE IMPERIALE MATYRAE CIRCOLATIONI
THEATRUM LIBRARIAE ET LIBRARIÆ SCIENTIÆ
MUNICIPALITATIS DIOCESANAE ZOBINGA
OPUSQ. SEQUITUR
HOC TITMORE OLEO

PRO CAVDA DOCTORIS
SYNODALIS INSTITUTIO ACADEMIA TRIGINTA
OPUSQ. SEQUITUR

JOAN. VASCULUS MELLITR

VIRO

PRÆNOBILISSIMO EXCELLENTISSIMO ET EXPERIEN-
TISSIMO
IMMIA ITALIA MVRATI IN PERTINENTIA
DOMINO

TOBIAE BOGISLAO
RVCKERTO

MEDICINÆ DOCTORI

PHYSICO ET PRACTICO APVD BELGARDENSES CELE-
BERRIMO

DOMINO COGNATO ET TUTORI

SVO PARENTIS LOCO

OMNI PIETATE ET OBSEQVIO SEMPER CULTO
COLENDOQVE

ARIO

IN PERPETVVM GRATI ANIMI
MONVMENTVM


PRIMITIAS HAS STVDIORVM SVORVM

D. D. D.

SEQVE TOTVM PARATISSIMO OBSEQVIO

OFFERT

AVCTOR ET RESPONDENS.



Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

RVBO IDAEO OFFICINA-
RVM.

PROOEMIVM.



Omni quidem tempore fuerunt medicinæ Catones sui, qui acri censura, alii hoc, alii aliud, notarent: sed præcipue impetierunt pharmaceuticam eius partem, illudque reprehenderunt, quod ex omnibus, etiam remotissimis partibus orbis nostri ambitione conquirantur, quibus officinas sufficeramus. Saxum hoc voluere ante ceteros cœpisse videtur C. PLINIVS: sed propioribus temporibus neutiquam defuerunt, qui vel in compositiones, ab antiquitate acceptas, insurgerent, vel ex peregrinis regionibus allatis mercibus bellum indicerent, magna que con-

A

ten-

PROOEMIVM.

2

tentione gererent. Et prioris quidem generis aliquos videas, qui ipsa nimia caliditate & accusandi vehementia efficiunt, ut minus audiantur & admittantur ab illis, qui sedatori animo sedent iudices. Vix enim alicui, qui per plura lustra huius vel alterius antiquæ medicinæ usum salutarem & efficacem expertus est, persuaderi poterit, quod abiicienda & ex officinis releganda sit, si nihil aliud vitio dari potest, nisi quod diffusa & ampla sit farrago eorum, quæ ad eam requiruntur, aut quod viribus contraria in unum coeant: tamquam fieri non possit, ut ex multis, sine vitio coniunctis, congruus & in unum conspirans effectus consequatur. Annon autem omnitempore vinum meracum aqua, acetum melle, calidam frigida temperare, hoc est contraria contrariis jungere, sapientissimis hominibus solenne fuit? & annon illi, qui camphoræ caliditatem reformidant, nitro adiecto eam securius adhibent? Quod autem ad posteriores illos pertinet, vix poterunt suorum contum magnos successus sibi polliceri, ante quam ostendant inter patriæ nostræ domestica esse, quæ omnibus dotibus paria faciant istis peregrinis

grinis, quorum & vsus se omnibus approbavit,
& copia exiguo ære parabilis abunde suppetit.
Enimuero quam sit difficile hoc præstare , illos
puto experturos , quibus explorare placuerit ,
quantum inter ipecacuannam & asarum , aut
inter ialappam & bryoniam intersit . Nam si
auctoribus bene multis credas , possunt hæc do-
mestica illis peregrinis expellendis valere ; si se-
mel iterumque expertus fueris , quam sit ala-
rum incertarum virium , quantaque cum nau-
sea bryoniam ægroti accipient ; mirabor , si
non illico ad peregrina ista reuertaris . Enim-
uero patriam non odi , qui inhospitalem eam
& peregrinis inaccessam nolo mercibus . Gra-
ta erga deum mente profiteor & agnosco ,
compluribus nos gaudere , quibus iucunde &
vtiliter ad victum & medicinam vti possumus :
quin multis tantum abundare , vt exteris trans-
mittere queamus subleuandis . Quæ igitur in-
uidia est , si iusta nauium & vehiculorum onera
emittentes , paucas libras medicinæ aptarum
mercium quotannis in vicem accipimus . Id
tantum videtur exoptandum , vt nobis dome-
stica recte pleneque cognoscamus , & nec ni-
mium neque iusto minus pretium cuique eo-

A 2 rum

4 PROOEMIVM.

rum statuamus. Nescio enim quo fiat fato,
medicinæ vtique admodum pernicioſo, vt pau-
ci medicinarum vires satis æqua lance explo-
rent, sed quæ laudant, vehementer omnia lau-
dent, & tamquam id ipſis datum eſſet nego-
tium, vt ſupra omnia alia extollant, ſuperlati-
ua omnia prædicent. Ex quo fieri non pot-
eſt, quin profeſſa illa laudatio ſuſpectareddatur,
&, vbi ſemel iterumque ſuccellus experientiam
deſtituit, etiam de veris & meritis præconiis
dubitatio incident. Hæc præfari libuit, ante-
quam accederem ad exponendum de rubo
Idæo officinarum noſtrarum. Satis vtique aper-
tum, ſpero equidem, reddam quod plurimas
laudes merito ſuo ſuſtineat: ſed quod aliqui
nimium laudauerint, non minus me proba-
turum confido. Ipſemēt ſtudui ita medium
hic tenere, vt nec veras vires ſuſprimerem,
nec inuita veritate aſſererem, quæ experiri vo-
lentem fallant & ſpe ſua deliciant. Fecerim-
ne operæ pretium, beneuoli lectoris æquiffi-
mo & libertimo arbitrio permifſum eſto.

§. I.

§. I.

Quod rubus aliquis, a loco natali, Idæus dictus, pridem ad medicinæ usus commendatus & expetitus fuerit, omnino indubium esse debet cuius, qui priscos autores, Dioscoridem, Plinium, ceterosque, per quos antiqua ars ad nos transmissa fuit, euoluerunt. Et DIOSCORIDES quidem quum Libr. IV. cap. 37. de rubo vulgari egisset, deinde cap. 38. ipsi subiungit Idæum, quem ita appellatum esse scribit, *quoniam copiosus in Ida nascitur*. Consentit PLINIVS hist. nat. libr. XXIIII. cap. 14. sect. 75. *Idæus rubus appellatus est, quoniam in Idanom alias nascitur*. Quam sententiam quoque protulerat lib. XVI. cap. 37. sect. 71. *tertium genus Ideum vocant Grexi a loco*. Id videtur, primo quidem intuitu, satis perspicue dictum: sed accuratius requirenti vbinam sit iste locus obscuritas multa obuersatur. Idam scilicet montem, eumque satis celebrem, habuit Creta, atque ad hunc reuocare nos debet, vbi de plantis fermo est, antiquissima celebratio plantarum in medicinæ usus requisitorum. Quippe Plinio Galenoque testibus herbarios suos in ista insula habebant Romanorum imperatores, qui vegetabilia, iusto tempore lecta, in usum aulæ & urbis debebant colligere & transmittere. Alius autem Ida, in mythologia magis celebris, erat in Asia regione Troade, qui & Ida Mysiae a geographis dicitur: idemque Aeolidis; de quibus videoas PLINIVM libr. V. cap. 30. sect. 32.

§. II.

Hunc vero posteriorem Mysiae, Troadis, siue

A 3

Aeo-

Aeolidis, Idam eum esse montem , a quo rubo nostro nomen est inditum, vix quisquam sibi persuaserit, qui obseruauit veteres Idæum absolute positum & de herbis prædicatum , sollenniter reuocare ad Cretam. Sic SCHOLIASTES Nicandri , antiquus sane & minime ineptus, ad theriac. vers. 584. nos docet, id vocabulum vel denotare Creticum, vel in genere montanum ; poetas enim abusue Idam pro quoouis monte ponere. Enimuero nec Dioscorides, neque Plinius, poetae sunt: & de rubo Idæo videntur ita significanter scribere, vt intelligas eos non vage montes voluisse denotare, sed ex multis vnum, illum scilicet montem, qui in regione ob herbas medicinales celeberrima maximus est, & herbarum insigni copia abundat.

§. III.

Forte hæc parui esse momenti aliquis dixerit. Evidem fateor non esse hanc disquisitionem illius ponderis, vt fructu, ab vsu rubi nostri Idæi exspectando, excidere debeat, qui de illa non cogitauerit, aut eam componere & explicare queat: sed non de nihilo eam esse meo iure videor contendere. Scilicet memor, quod in limine cuiusvis tractationis terminos explicare & iusta definitione circumscribere deceat, auctores tam veteres quam recentissimos evoluebam: videbarque mihi omnino plana ambulare via, quum aliqui confidenter assererent. nihil esse certius, quam quod noster rubus Idæus, qui isto nomine vbique gaudet, sit ille idem quem Dioscorides, Plinius , aliisque veteres describunt. Sed scrupulum haud

haud exiguum iniiciebat PETR. BELLONIVS , magnus ille peregrinator & historiæ naturalis consultissimus , qui Lib. II. obs. 16. auctor est , se, quum tribus diuersis temporibus, diuersisque semitis, Idam con-scenderit , attamen nullum inuenire locum potuisse, in quo rubus Idæus noster nascatur.

§. IV.

Iam si Dioscoridem cogito , qui copiosum ibi na-sci scribit; si Plinium , qui non alium in Ida crescere testatur; si naturam ipsam fruticis , cui nos illud no-men tribuimus, cogito, ex viu iradicibus vndiquaque procurrentem , & breui tempore longos tractus re-plentem: vix capio , qui possumus secure credere e-ius naturæ plantam , quæ olim in Ida tam copiose creuisse legitur , temporis tractu ita omnino periisse & disparuisse , vt nullum eius hodie vestigium repe-riias , quum nulla sufficiens ratio cogitari possit, quæ eam abstulerit. Certe enim genio suo mons Ida li-berrime permisus est, paucissimis locis culturam ha-bens, cuius causa fieri forte potuisset , vt alicubi ex-stirparetur. Nam omnibus fuisse eradicatum quis credat; vbi nos hodie in hortis libenter eum tolera-mus, vt fructu eius potiamur? Commode succurre-bat, quod celeberrimus peregrinator TOVRNE-FORTIVS Cretam, inque hac Idam montem diligen-ter perlustrauerit. Adii itaque illius epistolas itine-rarias, *Voyage du Levant*, quarum prima recenset botanica notabiliora in hoc monte vifa. Nullam ibi deprehendo mentionem rubi Idæi, quam ipsum non existimo prætermisurum fuisse , vt Bellonium corri-geret,

geret, in quem eodem loco animaduertit, quod ne-gauerat tragacanthæ plantam in Creta gummi istud, quod officinæ habent, profundere.

§. V.

His motus rationibus profiteor me dubitare, si-
ne rubus Idæus ille veterum vnuis idemque cum isto,
quem nostræ officinæ hodie habent. Cumque veter-
es in notis characteristicis plantarum tradendis ni-
mum negligentes fuerint: haud facillimum videtur
rem hanc ita planam reddere, vt nulla dubitatio su-
per sit. Quare consultius putauit me facturum, si, se-
posita illa quæstione de rubo Idæo veterum, sermo-
nem deinceps tantum facerem de illo rubo Idæo, quem
nostræ officinæ hoc nomine habent.

§. VI.

Est autem in nomine eius alterum generis, alte-
rum speciei. Rubus scilicet nostri æui consensu de-
notat fruticem longe lateque sese propagantem, sen-
ticosis & angulosis farmentis, plerumque rubentibus,
vagantem. Virgæ eius, si non habeant quo fulcian-
tur, humili prorepunt: alias in altum surgunt, spinis
aduncis & pungentibus aculeis horridæ. Folia ter-
na aut quina in eodem pediculo, aspera, dorso acu-
leato, inferna parte candidantia, superiore nigrican-
tia. Calix est monophyllus, quinquisidus, segmen-
tis cuspidatis. Flos est pentapetalus regularis, albi
vel ex candido rosei coloris, multis staminibus, co-
rolla breuioribus, antheræ subrotundæ, compressæ,
insistunt. Post florem succedit bacca composita ex
multis

multis acinis succulentis, placentæ in medio calicis sitæ annexis, in capitulum oblongum, infra concavum, collectis, & inter se, in plerisque speciebus, ita coalitis, ut sine laceratione separari nequeant. Fruetus hi maturescentes rubent, deinde plenam maturitatem consequuntur nigricant, atque saporem præbent dulcacidum, satis gratum: quanquam sunt etiam vel nauseosum dulcem, vel omnino fatuum & aqueum succum includentes.

§. VII.

Iam vero illa species rubi, quam officinæ Idæum hodie vocant, essentialia rubi habet omnia: differt tantum accidentalibus quibusdam. Nam humi repente non videre non memini, sed surriguntur eius virgæ saepè ad tricubitalem altitudinem: longe etiam mitioribus ac fere innoxii spinis obsidetur: immo alicubi sine spinis obseruatum esse botanici haud vani, atque hos inter CAR. CLVSIVS, confirmant. Fruetus acini rubent, succumque dulcem vinosum, singularē omnino gratiam & violarum odoris æmulum exhibentem, includunt. Commemorant autores rubum Idæum fructu albo, non alia re ab illo nobis familiari discrepantem. Ceterum huic Idæo locus etiam in hortis conceditur, quamquam sponte nascentem omnis forte Europa ostendit per viginosa & minime aprica loca; præferrim montanos & saxosos tractus, bene tamen rorulentos vdosque amant. Nec loca satis aspero frigori per hyemem subiecta reformat: quippe per Britanniaæ septentrionales tractus,

B

per

per Sueciam, Lapponiam & Russiam prouenit , tan-tamque maturorum fructuum gratiam gustui offert, vt præferri etiam mereantur illis sub caelo haud pa-rum mitiore enatis.

§. VIII.

Quæ dixi, quod septem trionibus subiectæ regio-nes copioso optimi rubi Idæi prouentu abundant, pos-sem quidem multis confirmare testimonii; sed pau-cis liceat defungi. Sic AD. OLEARIVS, in descrip-tione itineris sui ad Perfas suscepiti, meminit medo-nis seu mulsi ex baccis rubi Idæi apud Russos copiose parari soliti, cuius insignem gratiam prædicat, vt & præparandi omnem rationem exponit: quam qui co-gnoscere desiderat apud BARTHOL. ZÖRNIVM in-ueniet, *botanolog. med. p. 587.* Insignis autem medi-cus Lubecensis PAVL. NEVKRANTZIVS, in suo *de purpura* libro testatur, de quodam senatore vrbis eius, quod vinum Rhenanum quotannis mittere in Sue-ciam solitus fuerit, vt ibi baccarum rubi Idæi viri-bus & gratia imbuueretur, addita ratione, quod ibi (Lubecæ) seu rarer sit dictarum baccarum copia, seu illic meliores atque vberiore prouentu nascantur. Sed de istiusmodi vino recurret inferius dicendi commo-dior locus. Accedat tandem clarissimi nostro ævo botanici CAROLI LINNAEI testimonium in *Flora Lapponic.* pag. 160, de copiosissimo prouentu rubi Idæi per sylvas Lapponum: seorsim autem commendat aliquam speciem caule vniifloro foliis ternatis, cuius fructuum singularem gratiam, vsusque multos sic prædi-

prædicat: confici curant magnates per Norlandiam e baccis syrum, gelatinam, vinum rubeatum; & alia, que parvum ab illis ipsis consumuntur, partim Holmiam ad amicos mittuntur, tamquam bellaria suauissima, rarissimaque. Et sane inter omnes baccas Suecia filii nostres videntur ha tenere primas.

§. VIII.

Non indigna attentione nostra videtur obseruatio, quod benigna natura sub frigidissimo cælo habitantibus ruborum fragorumque pluribus generibus, quibus abundantissime gaudent, compenset defectum plurium horæorum fructuum, per mitiora climata obuiorum. Dedit illis non solum gratiam, qua delectent et recreent, verum etiam salubritatem & vires medicas insignes: insuperque efficit, ne nimium fugaces sint & parte anni minima tantum iuuent aut delectent. Certe de aliquibus affirms laudatus LINNAEVS, quod sub niue sepultæ per integrum hyemem conseruentur, & vere in sequenti tam gratae, ac tunc erant, quam defoderentur, inde extrahantur. Sed & illud notatu dignum videtur, quod earundem specierum, quæ frigidissimarum regionum incolis sponte plurimæque prognascuntur, & vberes ibi fructus ferunt, passim in montanis reliquæ europæ tractibus exempla notata sint a botanicis, sed fere eadem rariora & minus operæ pretium facientia, si frequentiam & fructuum vbertatem in regionibus maxime borealibus intuearis. Quid? quod illorum aliqua in hortos a Sueciis curiosis translata, ibidem vi-

B 2

uunt

uunt quidem & omni anno florent, fructum autem numquam perficiunt. Legat, qui curiosius hæc cognoscere cupit, CAR. CLVSII rar. plant. hist. lib. I. capitibus 83. 84. & 85. addatque CAR. LINNAEI Flor. Lapponic. §. 207. & 208.

§. X.

Faciunt hæc quidem, ni fallor, ut tanto minus pertinaciter officinarum nostrarum rubum Idæum in Creta quæramus: deinde ut minus admiremur veteres, qui, fructibus rubi Idæi, quibus nos solis fere pretium, idque iustissimum, statuimus, omnino prætermisssis, aut vix commemoratis, de reliquarum plantæ partium utilitatibus medicis fere tantum sermonem facere assolent. Quoniam autem non placet ex instituto resumere illam de veterum rubo Idæo disputationem: lectorem benevolum ablegare liceat ad DIOSCORIDEM libr. IV. cap. 37. ubi de rubi vulgaris usibus differit. Quæ, quoniam pauca sunt, euoluendi labore leuabimus ipsum, atque adscribemus omnia: *Rubus*, inquit, *notitia vulgaris, adstringit & siccatur, capillosoque tingit. Summorum autem ipsius ramorum decoctum potu aluum siffit, fluoremque mulierem cobibet, nec non & contra presteris morsum vallet. Firmant & ginginas, orisque ulcera sanant, commanducata folia. Imposita vero berpetas cobibent, ulceribusque in capite manantibus, oculisque procidentibus, condylomatis item & bæmorrhoidibus remedio sunt. Eadem cardiacis quoque & stomachicis trita conuenienter imponuntur. Ceterum contusis caulis*

ac

ac foliis expressus succus, sole coactus, ad ante dicta vi-
tia efficacior est. At fructus perfectam maturitatem
affecuti succus stomaticis, hoc est oris medicamentis, ac-
commodatur. Siftit & aluum subcrudus fructus in ci-
bo sumitus, aqua ac flos in vino potus.

§. XI.

Hæc vbi de vulgari rubo protulerat, subiungit
de Idæo sequentia: *Eadem præstat, quæ supradictus.*
At ex abundanti flos ipsius, ex melle subactus, oculorum
inflammationibus commode illinitur & erysipelata re-
ssinguit: stomachicis quoque ex aqua bibendus datur.
Tam tenuis & perfunctionia laudatio, quæ omnino
prætermittit, quod nostri œui, & terrarum nostrarum
medici tam impense laudant & commendant,
insignem inquam gratiam & utilitatem baccarum ru-
bi idæi nostratis, annon vero simillimum reddit igno-
rum illis fuisse nostrum rubum Idæum? Nam si dice-
re velis Dioscoridem, dum de rubi vulgaris fructibus
exposuit, de Idæo dicenda simul tradidisse: hoc ne-
mini satisfaciet, qui stomaticum usum a baccis rubi
Idæi nostratis neutiquam exspectandum esse sensibus
suis crediderit. Et quum veteres ingeniosi sedulique
fuerint in vinis variis, siue luxuriæ gratiaeque causa,
siue medicinæ emolumento, vegetabilibus variis con-
diendis; nostratesque id frequenter & magno solatio-
nægrotantium adhibeant; mirari sane subit, qui factum
sit ut in tanto istiusmodi vinorum numero, (quum
apud unum Dioscoridem memorata admodum sexa-
ginta legantur) illud ex baccis rubi Idæi paratum non

habuerint, si vtique gratiam & utilitatem baccarum cognouissent?

§. XII.

Hæ rubi vulgaris vires §. 10, traditæ a plerisque auctoribus Idæo etiam nostro adscribuntur, a Dioscoride, vt palam est, desumptæ. Et sane virtus adstringens traumatica, in foliis & germinibus recentibus satis manifesta, spem facit, quod non frustra adhibituri simus, vbi talibus viribus opus est: sed singulares observationes aut specimina effectuum, propter quæ aliis eiusdem generis, sane plurimis, præferenda sint, non memini me vllibi legere; vt & in practicorum formulis haud facile, opinor, occurret aliud ex Idæo rubo ad vñus medicos præscriptum, quam quod ex fructibus eius, seu baccis præparatum est.

§. XIII.

Est autem ingens & conspicua conuenientia inter baccas rubi tam vulgaris, quam Idæi, mori, & fraga: quod omni æuo agnitus inuenimus. Nam communis nomine designata hæc omnia videas, vt mora vocentur. Hac autem appellatione proprie denotari fructus seu baccas mori, dubio, opinor, omni caret. Qui autem strictius significare volunt mori arboris fructus, vocant eos mora celsa. Sed rubi baccas designant vocando mora batina, a græco Βάτινα, rubus; quod medio æuo, inter librariorum manus, depravatum fuit in batiana & vaticana. OVIDIVS, *metamorph.* I. 105. in *duris herentia mora rubetis* easdem dixit. Quod autem fraga mororum nomine etiam comprehendende-

henderint, testem sisto SERVIVM ad VIRGILII ec-
log. III. vers. 92. vbi expositurus quid sint bumi na-
scientia fraga, esse docet mora in herbis nascentia.

§. XIII.

Atque hanc conuenientiam non vñus tantum lo-
quendi introduxit, sed ipsa characterum, quos botani-
ci accurationes considerant, approbat & confirmat
præsentia, in rubis atque fragis satis conspicua: de
quo olim cogitauit H. BOERHAAVIVS *bort. Lugd.*
II. p. 60. clarius autem demonstrauit CAR. LINNAEVS
Fl. Lappon. pag. 169. Conuenientia autem quoad par-
tes constitutiuas, vires & vsum, manifesto per omnia
elucet, si fraga & rubi idæi mora inter se compares.
Seminula quidem parua nuda habet fragum, recepta-
culo pulpoſo, molli, subouato & deciduo, exterius
insertum, vt gemma pretiosa auro: rubus Idæus se-
mina receptaculo ouato & oblongo, pileoli quasi for-
ma compacto, abscondit subtunica, & pulpa simili
dulci vinosa obducit. Conueniunt itaque pulpoſo
grate vinoſo pomo: illiusque pomi succo viribus & v-
nu supparibus. Atque sic cruda, vt a stirpe decerpun-
tur, profunt hominibus & animalibus, ad sitim re-
ſtinguendam, æſtum contemperandum, ad delectan-
dum & reficiendum, modo iustum maturitatem sint
consequura. Quam aude animalia in sylvis legant
fraga & rubi idæi foetus, non opus est probare. Cer-
te Germanicum nomen a multis inde deducitur, quod
hinnuli ceruarum & caprearum illis delectantur: qui in
de vris, quod baccas rubi idæi iucundissime legant,
commemorat MATTHIOLVS ad *Dioscoridem.*

§. XV.

§. XV.

Atque hic efsus crudorum, tam rubi idæi fructuum, quam fragorum, modo bene matura sint, & non immodicus sit, tantum abest ut noceat, ut potius apprime hominem iuuet, non solum cetera rectissime valentem, verum etiam longa aliqua valetudine aduersa confectum & viribus exhaustum, ut sunt quos lentarum febrium infidiosus æftus consumit. Et quod sanis quidem nihil ab his, ut & aliis horæis vi-noso succo prædiris, metuendum sit, possem, si id opus videretur, abunde multis testimoniis confirmare. Non dubito de rubi nostri baccis profiteri, quod de fragis LVD. NONNIUS *de re cibaria libr. I.* p. 97. scriptum reliquit, nusquam auditum aut scriptum, quenquam horum eſu maligno aliquo affectu correptum fuſſe. Modo illud caueatur, quod quidem ad plures huius generis similiter pertinet, ne ventriculo varietate & copia aliorum ciborum & portuum superonerato ingerantur: cum quibus, vt pote tarde concoquendis, corrupti possint & aut in fermentescensem expansionem deduci, aut acidam vel acrem indolem accipere: de quo ante annos septem pluribus exposuit D. D. PRÆSES *in differt. de fructib. ho-ræis §. 19.*

§. XVI.

Recte itaque sibi confundunt idæi rubi fructibus secure & utiliter vsuri, si id faciunt ante cibum, aut in prandii vel coenæ initio: quæ sententia Galeni *l. c.* adducta legitur §. 10. Quin si quis valetudine longa con-

confectus & emaciatus languores suos solari & emendare cupit, iejuno vacuoque ventriculo modicam portionem ingerat, bucella panis butyro recenti illiti commansâ, idque per diem bis terue faciat, parum semper assumendo. Hoc faciendo depascentem æstum lentea febris mox imminui sentiet, viresque instauratas mirabitur: vtique si nihil inconsulte fiat febris causa; vt quibusdam omnis hic spes fedet in alexipharmacis ac bezoardicis: quæ calori perpetuum formitem suppeditant. Possent exempla hic produci felicis successus curationis eiusmodi diæticæ: sed supersedere hac opera me posse existimo, quum in citata modo dissertatione talia adducta sint.

§. XVII.

Gratiæ & iucunditatem succi, quem rubi Idæi fructus includunt, multis verbis describere nihil opus est. Præter vinosum saporem, quo nos delectant, spirant insignem gratiam, palato & naribus æque iucundam. Illoque blando vinoſo principio vires excitat; quemadmodum aquosum principium, quod mucilagine aliqua sociatum est, siti ſedandæ & fracidæ humorum acrimoniæ obtundendæ inferuit. Vnicum moleſtum eſt, quod impuræ muſcæ hos fructus ſæpe corrumpunt, iisque ſua ouula imponunt: vnde nauſeā comesturis mouent, quando vermiculum in illis animaduertunt. Sed hoc eiusmodi eſt, quod laudibus eius detrahere non debet, quum non minus aliis fructibus accidat, & in carnibus aliisque eſculentis vix ſatis caueatur.

C

§. XVIII.

§. XVIII.

Quoniam autem satis angusto spacio illud tempus circumscripsum est, quo haec mora a frutice recens decerpta, languentibus reficiendis, sanis autem delestantis suppetunt: cogitatum fuit de variis modis, quibus vel integri ad diuturniorem durationem aptarentur, vel partes aliquae ex illis extracta toto anno exhiberi possent. Conditas rubi idæi baccas tam pharmacopœi quam dulciorii parare norunt: modum edocet ELSHOLZIUS *diæticæ. sect. VI. p. 438.* Sed in succo ad longam durationem aptando præcipue elaboratum est. Is si per se ad crassitudinem mellis euaporatus fuit, rob denominatur; cuiusmodi præparatum nostræ officinæ vix habent: saltem in dispensatorio non præscriptum est. Sed apud populos septentionales illud notum esse ex BARTHOLINO perspicio, cuius iterum in hac causa laudandi occasio erit. Sed forte ibi etiam latius sumitur vocabulum, ut apud IO. ZWELFFERVM video in *pharmacop. regia*, Rob siue gelatinam de rubo idæo, tamquam tantundem valentia vocabula, sumi.

§. XIX.

Non indigna videtur haec a ZWELFFERO ladata gelatina, cui paululum immoremur. Nam iubet succum ex fructibus rubi idæi protinus prelo exprimere, & cum sacchari canti æquali pondere, in crassitatem quam syrapi consistentiam decoquere. Ita futurum pollicetur ut diutissime sit durabilis, absque eo, ut vel situm contrahat, vel crystalli saccharini tandem in illo

illo concrescant. Fieri hoc non posse afferit, si, more pharmacopoliis vñitato, succus sponte lenteque per collatorium effluxerit. Atque gelatinam hac lege param hoc in primis nomine laudat, quod electuariis commoda sit parandis, ipsisque durabilem consistentiam tribuat, & gratiam, vix ab alio saccharato exspectandam, conciliet. Differt itaque a syrupo officinarum crassiori consistentia, & maiori durabilitate: nam sacchari par quantitas utrobique affluitur.

§. XX.

Mirum autem est quantum huic vel rob, vel syrupo, tribuant autores non contemnendi. CONR. GESNERVS in Epist. Medic. pro scopo analectico, & confortando stomacho, quibusuis aliis, omnibusque perlis & gemmis præfert. THOMAS autem BARTHOLINVS de medicina Danorum domestica Diff. V. pag. 216. in hunc modum commendat: *confessionem e granis chermes paratam commutabimus cum rob sambucino & rubi idœi.* Atque idem auctor pag. 207. hæc profert: *certe conserua calendulae & rob rubi idœi, vel sambuci, eadem præstabunt contra venena, venenatosque morbos, quæ theriaca.* In quo quidem nescio an omnes Bartholino assensuri sint & concessuri, quod syrpus alkermes & rob rubi idœi pari passu ambulant. Nam vtut vires analecticas syrupo vel rob rubi idœi libenter relinquimus: illud tamen salinum animalis prosapiaæ, quo granorum chermes succus agit, & motus nimium depresso languidosque excitat, in rubo idœo neutiquam inuenimus. Neque propterea Bartholino palmam illiko concedimus, quia ipsimet

C 2

Galli

Galli confessi sunt, quod confectio alkermes in dysenteria nocuerit. Satis enim multum in hoc morbo intestina ad motum spasmodico - conuulsuum excitata sunt, vt omnino nihil stimulans tolerent, ipsaque saccharata non bene perferant: prorsus vt dubitandum sit an rob rubi idæi cum fructu dari in hoc morbo queat.

§. XXI.

Syrupi, vel rob rubi idæi, vsus est non solum ad gratiam bolis & electuaris conciliandam; verum etiam iulepis & potiunculis quam optime additur, quoniam eas colore, odore & sapore ægrotis commendat: nisi forte hystericis subtrahenda hæc fuerint, quibus certe aquam rubi idæi non conuenire exemplo quodam didici. Sed non minimus vsus est, quod vino misceri possunt, idque omnino delicatum redundant, & languentibus ad reficiendum, viresque recollandas, utrissimum: senibus in primis conueniens, quibus extrema ætate vinum, cui adsueverunt iuuenes, minus tolerabile fit, præsertim acidiusculum, vt sunt Rhenana omnia. Meminimus illuistris quondam & meritisimi senis, qui utrissimum sibi vinum sic temperatum saepe prædicabat, languoresque suos illo solabatur. Sed non senibus solum permittenda sunt: quin etiam iuuenibus, temperandi caloris causa, per mediæ æstatis magnos æstu, utilia sunt huiusmodi vina succis vegetabilium temperata, modo caueatur excessus in eorum vsu, & ipsa vina, quibus admiscetur, bona sint & laudabilia. In quo cœnopolis, lucri causa quiduis facientibus, non est nimium fidendum: quippe

quippe confisi gratiæ, a saccharo & succis afferendæ, vilissima, & que alias obtrudi nemini potuissent, vina hac ratione vendibiliora reddunt.

§. XXII.

Quod autem non gulæ tantum delectationique seruiat vinum tale rubeatum, aut fulciendæ solum valetudini conducat, verum etiam grauissime decumbentibus, & cum febre maligna conflictantibus, idoneum sit, testimonii virorum in arte versatissimorum pridem confirmatum est, & ab hodie viuentibus & artis opera facientibus comprobatur. Ex antiquioribus laudabo vnum, PAVL. NEVCRANTZIVM, qui in libro *de purpura cap. XXVIII.* de analepticis tractans, quibus virium magnus lapsus, animique defectio corrigi possint & debeant, inter haec vel primas partes tribuit vinis nostris Germanicis, pro rei exigentia aquarum commodarum, aut succorum vinosorum, admixtione temperatis. Hos inter nominibus suis laudat & recenset succum citri, syrups berberum, granatorum acidorum, ribium, rubi idæi & similium. Quibus præmissis vinum baccarum rubi idæi seorsim laudat, in Suecia, ut §. VIII. adduximus, conditum immisso nisce fructibus: quod suis ægrotis magnum attulisse fructum prædicat. En partem illius sermonis: *vinum enim illud, præterquam quod minus simplici calefacit, cor insigauerit roboret, ut succum baccarum rubi idæi cum succo granorum chermes in corroborando corde certare credam.* Repetit eandem doctrinam pag. 508. his verbis: *vinum ex baccis rubi idæi abeuntem iam animam illico reuocat, maxima odoris fragran-*

Dissertatio inauguralis medica

*tia, sapore suauissimo, quod innoxie datur in maxima vi-
rūm debilitate.*

§. XXIII.

Testimonio huic, ante hos prope centum annos
lato, subiiciam duorum nostrarē ætatis insignium viro-
rum sententias eodem tendentes. Et beatus quidem
academiæ nostræ Aesculapius, meritissimus FR.
HOFFMANNVS, medic. system. tom. III. quo capite de
robortibus agit, minime omittit fructus fragorum
rubique idæi, indeque parata. Docet autem nos cor-
dalia, fraganti suauissimo principio prædicta, eodem
ipso in neros eorumque fluidum immediate fere pe-
netrare, ipsisque motum blandum & naturæ amicum
conciliare: quod ex eo cognosci quoque potest, quod
maxime debilitatis, vel odoratu tantum percepta, con-
spicuum fructum afferre talia cognoscimus. Quo au-
tem tempore, quibusue legibus, vinum addi anallepti-
cis conueniat, idem docet; sed repetere & huc adferre
non licet. Addo huic D. D. IO. SAM. CARLII, se-
renissimi Danorum regis archiatri & consiliarii, suffra-
gium, qui in libro *de dieta p. 157. iis*, qui febribus ma-
lignis & pestilentialibus correpti sunt, ad debilitatem
magnam subleuandam, præbere iubet iulepos ex suc-
cis fructuum horæorum, vt cydoniorum, berberum,
ciri, rubi idæi, cerasorum, granatorum; quos vino &
aqua prouide temperare iubet. Atque idem vir in
medic. pauperum pag. 53. 54. pulchre docet, quo pacto
istiusmodi succi ad longam durationem apte præpa-
randi sint, vt vsus tempore semper in promptu sint, & vi-
no ac aqua distemperati ægrotantibus exhiberi possint.

§. XXIV.

§. XXIV.

Principium illud odoratum, naribus nostris & palato iucundissimum, excitauit medicos ut destillando colligere studerent. Et sane pulchre illud conse- qui licet, si baccas leuiter contusas, paucula tantum aqua adiecta, ex balneo destillemus. Qui autem copiosius aquam affundunt & ex vesica destillant, & minus effi- cace & minus gratam accipere non est mirum. Est autem vere aqua rite parata cordialis & analectica, gra- tiā autem maiorem ab adiecto faccharo illico acqui- rit. Qui potiunculas ægroto gratas, & excitandis de- bilibus aptas, concinnare student, hanc potissimum, cum illa ex cerasis nigris, cum nucleis suis contusis & aliquamdiu maceratis, ex multis eligunt, & illius, quam naphæ vocant, admodum modicum adiciunt, ne magna copia priores exsuperet & gratiam omnino corrumpat. Sed aquam rosarum melius est non ad- miscere, quoniam in valde sensibilibus, debilitatis, ni- mis cito motum vomitorium excitat. Est enim sua natura cathartica, & vires cordiales nullas a natura ac- cepit, nisi quantum per accidens forte, ægroto a noxia faburra liberato, deinceps leuamentum accedit.

§. XXV.

Solent aliqui succum rubi idæi sic parare, ut leui- ter comminutas baccas reponant, donec mucilagino- fitas aliquantulum motu intestino resoluantur, siveque per colum facilius transfluat succus: quem sic impetra- tum a superflua humiditate, in balneo illam eliciendo, liberant, & residuum, addito faccharo, ad consistentiam decoquunt. In quo nihil est, quod reprehendi debeat,

quum

quum iacturam optimarum partium sic præcaueamus. Illa enim attenuatio vere iam est ab intestina agitatio-
ne fermentatua, & aliquantulum vinosi spiritus effi-
cit: vnde tantum abest vt deterior fiat aqua, vt potius
melior & magis cordialis euadat. Vnicum tantum
est, quod, non quidem medico respectu, sed pharma-
ceutico, incommosas illas reddit. Scilicet emulsioni-
bus parandis non aptæ sunt istiusmodi aquæ: nam vel
illoco præcipitationem faciunt, vel post paucas horas
eam inducunt. Idem accidit cum aqua cinnamomi
cydoniata, si cydoniorum succus super cinnamomo
vno vel altero die digestus fuerit, ad meliorem eius
penetrationem. Vix enim hanc aquam, si laudabilis
& bona est, emulsioni sine eius destruotione miscue-
ris. Hoc itaque vnum si caueamus, de reliquo potius
suadendum videtur vt aliquantum spirituosa paretur,
pro illis, qui non aestuant, quam vlo modo impro-
bandum. Poteritque facili compendio res effici, si bac-
cis, quas destillationi destinauimus, modicum vini ad-
iiciamus.

§. XXVI.

Tandem etiam tam pharmacopoei acetum rubi
idæi parant, quam matresfamilias illud domi confi-
cere solent. Et hæ quidem ad intinæus mensæ im-
ponunt: commendabile vtique ob colorem & sapo-
rem ac odorem. Apud illos prostat, vt in promtu sit,
si quando medici inter potiunculas & iulepos recipere
iubent, aut inter illa vehicula, que bezoardicis medi-
camentis, in morbo maligno adhibendis, vtilissime or-
dinantur. Tanta enim est aceti virtus in his morbis
vincen-

vincendis, vt aliquando iuste dubites, plusne virtutis a medicina, an a vehiculo profectum sit. Certe mirari illos subit, qui non attenderunt sæpe medicamenta tantum dicis causa accedere, rem omnem autem porrissimam ab aceto effici. Quare nec mirum si illæ medicinæ, vt diascordium Fracastorii, aliaque antidoti, sine aceto, aut non cum sufficienti eius quantitate exhibitatæ, spem & exspectationem delituunt. Est itaque hoc acetum, inter reliqua officinalia, hoc fine assertandum, tamquam per se vario intuitu bonum, & vt copia pro variatione adfit. Illud tantum fuerit obseruandum, vt eius, cui parando destillatum fuit adhibitum, minores quantitates præscribamus, & diluendum magis præcipiamus.

§. XXVII.

Diximus de rubo idæo officinarum nostrarum, quantum fructibus suis vitam hominum iuuet: neque succurrit quicquam, quod adiciendum videatur. De reliquo plantæ huius partibus, earumque vnu, certum & exploratum, quod addere §. X. & XI. dictis possem, nihil habeo. Vnus MATTHIAS DE LOBEL in *obscurat. stirp. p. 619*, aliiquid, a prioribus non æque dictum, profert: *radix, prater adstrictionem, non paucam in se habet substantiam tenuem, propter quam etiam in renibus lapidem communuit*. Haec esti proprie videtur vulgari rubo tribuere, non tamen iuste ad idæum nostrum trahimus: quoniam omnes consentiunt, quod eadem præster, quæ de vulgari promittuntur. Quanquam vero illas vires tenuiores, quibus calculum communiat, nondum cognouimus, & in medio relinquimus positas: non tamen reputamus laudatum vsum in nephritis fabulosa, quando renes, ob atoniæ & flacciditatem, emoliendo lotio mucosiori non sufficiunt, sicque permittunt vt tartareis terrestrioribus partibus coniunctis tophi coeant. Pridem constat hic laus sua adstringentibus, vt

D

pyrolæ,

26 *Dissertatio inauguralis medica de rubo idæo &c.*

pyrolæ, præsertim arbutifoliæ, saniculae alpinæ, equiseto, quin veronicae decoctæ, & pluribus, quæ a medicis passim celebrantur, & in dissertatione sub illustris archiatri de HEVCHER præsidio Wittebergæ habita, *de adstringentium r̄su in calculo pellendo*, commemorata leguntur. Sed vela nunc contrahimus, & finem commentatiunculae huie imponimus.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
S. P. D.
P R A E S E S.

Tandem itaque licet extremam manum imponere recensendæ & ad prælum tradendæ dissertationi TVAE, que, a TE pridem mibi exhibita, tam longas moras traxit apud me, cum aliis laboribus, ut opime nosti, obrutum, tum corporis per quam molesto & pertinaci morbo, inde ab ingressu huius anni vexatum, ut ingratissimas ferias subinde indexerit, quando quam maxime volebam auditoribus meis vacare, & amicorum desideriis obsequium prestare. Imputabunt igitur TVI, qui aduentum tuum iam integrum mensem prestolantur, tarditatem illam non TIBI, neque adeo mibi, sed cause quam vincere non licuit, & excusationem instam ubique affert. Ceterum prorsus tecum sentio, quod nostrarum officinarum rubus Idæus non possit idem esse, quem DIOSCORIDES, PLINIVS aliquæ veteres describunt. Sed omnino facilius hic est negare, quod noster & Creticus idem sint, quam ostendere alterum, quem illi veteres rubi Idæi nomine appellauerunt. Quanquam autem afferenti, quod hoc vel illud non sit, pro

pro quo habetur, minime incumbit ut loco eius genuinum
illico indicet & exhibeat: fateor tamen me desiderio
verum ac genuinum inueniendi multum laborasse, vi-
sumque mihi fuisse, quod aliquae coniecturæ probabiles
nos ducere possint ad verum rubum Idaeum in monte Ida
reperiendum. Eas tecum, & cum benevolo lectorre,
paucis communicabo. Apud PLINIVM in antiquis e-
ditionibus legebatur: idæus rubus appellatus est, quoni-
am in Ida, NON ALIAS nascitur. Harduinus corre-
xit & edidit NON ALIVS. Necio quantum hac cor-
rectione fecerit opera pretium. Persuaso quidem quod
ille per Europam omnem frequentissimus rubus, quem of-
ficinae hodie habent, sit idem veterum, non potest improbari
noua lectio, tamdiu certe, donec Bellonii apertam negatio-
nem, & Tournefortii plentum perpendat. His intelle-
ctis non potest non magis probari vetus lectio, que innuit
plantam extra Cretam, quod Plinio innotuerit, non ob-
uiam, adeoque ex illa insula & eius monte Ida petendam.
Nam vero uterque doctus peregrinator, Bellonius & Tour-
nefortius, ibi conspexerunt aliquam speciem pruni silue-
stris, quam ultimus bis verbis describit: rien n'est plus
surprenant, qu'une espèce de prunier, dont tous ces
rochers sont tapisséz, pour ainsi dire, & qui fleurit à me-
sure, que la neige se foud. Vocat illam in coroll, instir,
rei herb, prunum Creticam, montanam, minimam, humili-
fusam, flore suauerubente. Prior autem scribit: pro-
uenit frutex, agriomelea vulgo nuncupatus, exiguum
malorum, pyris forma similium, ferax. Nusquam hic
frutex in Gallia reperitur, praeterquam in scopulis Fon-
tainebleau arci regiae vicinis, quibus delectari videtur.
Hoc mihi videntur de eadem planta esse dicta. Sed quid,
inquier, haec ad rubum? quid rubo & pruno simile? Fa-
teor

teor nostris botanicis ineptum videri debere, si quis rubrum & prunum non discerneret. Sed questio est de veteribus, an adeo sollicite haec curauerint. Non curauisse autem docent collata inter se rubus, capparis & rosa silvestris, quibus, ut pluribus que non cumulo, Barco, rubi nomen imposuerunt. Scilicet sepe accidentales quosdam characteres sequebantur, ut humili fuscum esse, spinosum esse; essentialies securi pretermittebant. Fateor itaque me diu secure credidisse a vero similitudine non distare, quod prunus illa Cretica humili fusa, in monte Ida frequentissima, olim dicta fuerit rubus Ideus. Sed ut vacillaret iterum fides mea, efficit SEBAST. VAILLANT in botanico Paris. qui prunum silvestrem, circa Fontem Bellaqueum crescentem, non minimam, non humili fusam describit, sed ad X. vel XII. pedum altitudinem assurgentem. Vnde istud saltem cognoscitur quod Prunus Cretica Tournefortii non sit eadem Bellonii: nisi forte Bellonius aliam in scopolis arcis regie vicinis vidit, Vaillantius aliam intra septa arcis conspergit, dans le premier bosquet du parc, quand on y entre par la grille des Cascades. Sed haec talia sunt, ut expediti non possint ab homine, cui in museo tantum & libris peregrinari conceditur. Forte alii, quibus fortuna ampliores occasionses offert, hanc rem in clariore luce ponent. Ego vero TIBI, dignissime Candidate, gratulor felicem studiorum academicorum finem, quem per Dei gratiam contigisti. Perpetua cum honestatis & diligentia laude inter nos, per complures annos, versatus es. Faxit DEVIS, ut iis, qua fideliter didicisti, plurimum patriæ TVAE, diutissimeque inseruias.

Vale. Halæ die VIII. Maii CI^o CC XXXXIV.



NOBILISSIMO
ATQVE PRÆCLARE DOCTO
DOM. CANDIDATO

S. P. D.

IO. GOTTLÖB KRUGER.

Omne tulit punctum qui miscuit utile
dulci. *Antiquum sed verum effatum,*
quod merito scriptoris lapidem lydium dixeris,
& cuius præstantia nostris in primis temporibus
accuracyori mentis trutina perpendere solent e-
ruditii. Admiramur Euclidem, laudibus ce-
lebramus Hippocratem, obstupecimus ad scri-
pta Nevtoniana sed maiori adbuc admirati-
one digna forent fulgentissima orbis eruditii sive-
ra, si ad doctrinæ soliditatem accederet dictio-

nis

nis elegancia, cogitationum varietas, siue ea-
dem ex his scriptis eluceret ingenii quanta ef-
fulget iudiciorum praestantia atque perfectio. De-
lectamur scriptis plerisque Gallorum ob ingenium
quod ubique fere offendimus acumen, sed ma-
gis delectaremur si comes semper esset accura-
tum iudicium demonstrataque veritas. Perspe-
xisse hanc veritatem mibi videris Aestumatissime
Domine Candidate, qui thema ad disputandum
elegisti simul & dulce & utile; dulce palato & lin-
gue, utile ad conseruandas, quinimo ad recipiendas
debilissimas agrotantium vires. Insiste porro for-
titer ac masculine his vestigiis, quare semper il-
lud quod ad depellendos mortalium morbos utile
est & non vanum me TIBI votum esse existi-
ma, si dixerim sequuturam sua veluti sponte
esse dulcedinem. Dulcis mibi semper fuisti in
collegiis meis auditor, fuisti enim assiduus, ho-
nestus ac indefessus. Fac queso ut ego TIBA
utilis esse possim, utque videoas me promissis ita-

re, neque spem *TVAM*ullo modo fallere velle,
a TE ad opponendum invitatus comparebo, non
quidem ut *TIBI* victoriam dubiam, sed ut mi-
nus in gloriam reddam. Vale & fauere perge
TVI amantissimo. Dedi in Academia Friderici-
ana d 8. Maii 1744.

VIRO PRÆNOBILISSIMO
CAND. DOCTOR ANDO
PRÆCLARE DOCTO
S. P. D.
IO. FRID. ABRAHAM.

Bene multæ sunt rationes, quæ litteras hasce ad TE
dandans a me requirunt, ita ut cum abs TE mul-
ta in me profluxisse singularis amaris specimina
recordar, ingrati notam incurrere mibimet ipse videar.
Brevibus itaque officio in TE meo defungar. Gratulor
egregium *TIBI* doctrinam, quam in addiscendis artis
medicæ scientiis acquisivisti, gratulor stadium acade-
micum feliciter & cum laude confectum, atque inde
promeritam dignitatem doctoralem. Precebor Deum
O. M. ut omnia *TIBI* fausta, atque ex voto cedere iu-
beat. Et si quid in me est, quod *TIBI* foueam, animus
est pro amicitia *TV A* pariter ac amore deditissimus,
officiosissimus. Dedi Hale ad Salam in acad. Frider. d.
VIII. Maii MDCCXLIII.

Es

Es soll nicht Aeskulap, auch nicht Hygäens
Glanz
Mir ist den Stof zu Meyers Lob bereiten,
Ich thu es nicht. Man schrieb nur so vor Zeiten
Als noch das Dichterrohr sich mit der Götter Glanz
Mehr als anist gewüst. Du brauchst nicht erst im
Hain
Dem Aeskulapius ein feistes Thier zu weihen.
Die Tugend lobt sich selbst. Kurz, Dein gelehrt
Bemühn
Wird erst in künftger Zeit die besten Zinsen ziehn:
Denn wer wie Du mein Freund die Flüchtigkeit
der Zeit
Sich recht zu Nutzen macht, der bringt es wahrlich
weit.

Aus Dankbarkeit für die genossene Freundschaft
schrieb dieses ein jederzeit ergebener Freund und
Diener

C. F. Henrici,
Der Arznen- Gelahrheit Besessener,
Opponens.



Halle, Diss, 1744



Sb.



136.
26

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
 DE
**RVBO IDEO
OFFICINARVM**
^{QVAM}
 PRAESIDE
D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
 MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQUITATVM ET
 PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO
 ORDINARIO
 ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM
 ET PETROPOLITANAE VT ET REGIAE SCIENTIA-
 RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS SODALE
 ORDINIS MEDICI
 HOC TEMPORE DECANO
PRO GRADV DOCTORIS
 SVMMISQVE IN ARTE MEDICA LEGITIME
 OBTINENDIS HONORIBVS
 PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
A. d. XI. Maii MDCCXLIIII.
 AVCTOR
IOANN. AVGVSTVS MEYER
 POMERANVS.
 HALAE MAGDEBURGICAE
 Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI Acad. Typogr.